

ob innocentiam, quam fatis probavit Christo Soli justitiae, qui ipse *Cant.* 5. 10. dicitur צח ואדום candidus & rubicundus. Apprime huc collimat egregius B. Dn. Tarnovii (Avi mei vel in ipsis mihi cineribus venerandi) locus *Comm. in Jonam* p. 13. Ex sensu nominis Jona i. e. columba, tropologico monemur, decere omnem Christianum, (unde tota Ecclesia Christique sponsa in *Cant.* Canticorum saepe columba dicitur c. 4. 1. 5. 2. & 6. 8. & c.) inprimis vero verbi divini praecone, ut non nimium studeat hodierna politica, sed det operam, ut sit simplex sicut columba. *Matth.* 10. 16. abscondens se in foraminibus verae petrae, b. e. vulneribus Jesu Christi, *Cant.* 2. 14. & exemplo clumba a Noacho olim emissa, vespertino hujus mundi tempore ipse a consolatore datus, oliva, cum qua potest recte conferri Evangelii & pacis doctrina, folium afflictis in Ecclesiae arca afferat *Gen.* 8. 1. *Luc.* 10. 34. & semper columbam ad Jordanem in baptismo Christi apparentem, b. e. Spiritum S. respiciat, *Matth.* 3. 16. Quod si tum a malis opprimatur, sciat, id esse omnium piorum νεκρῶν ut conformes fiant filio Dei in cruce, *Rom.* 8. 28. 29. *Act.* 14. 22. 2. *Tim.* 3. 12. *Sirac.* 2. 1.

§. 13. Est ergo Ecclesiae ceu redemptae Christi Sponsae splendor omnis intus: כל-כבודו פנימו *Tota inclyt a est intrinsecus* *Pf.* 45. 13. Depingitur *Cant.* 1. 15. ופה עיניך יונים *Ecce Tu pulchra! oculi tui columbarum* quo scilicet subinnuere caelestis voluit Neonymphus. Sponsam suam non erectis in sublimia palpebris, non elatis aut per hirta supercilia refugis incedere oculis; sed simplicissimae instar volucris contentam esse humili demissoque oculorum lumine, contentam esse humili simplicitate ac simplici humilitate, vulneribus crucifixi Amoris sui libentissime immorari, suum de cruce pendulum Salvatorem oculo intueri columbino. Aut certe qua in schemate avis hujus Sanctissimus apparuit Spiritus, spiritualis magis quam simplex in ea intuitus, columbae

bae